D. Pareus.

Illustri ac Generoso Domino
D. ARNOLDO, Comiti in Bentheim, Tecklenburg et Steinfurt, Domino in Rheda et Wevelinghoven etc.

Salus à Deo Patre et Servatore nostro unico.

Illustris et Generose Comes: De praeclara Tua erga literas voluntate, deq; novo Tuo scholae Steinfurdianae instituto, ex optimo viro Henrico Bellano Collegii nostri Oeconomo cum prolixè cognoverim, equidem non possum non et Ecclesiae ex animo gaudere, et Tuae Generositati vehementer gratulari. Ecclesiae quidem, quod ex novo hoc pietatis seminario incrementa etiam isthic feliciter habitura, et purioris doctrinae atq; cultus radices ad posteritatem altius actura videtur. Tuae autem Generositati, quod Musis passim hodiè abjectis contemtisq; manum liberaliter porrigere non dedigneris, instituto sane ut verè digno Principe viro, ita cum primis ad sempiterni nominis famam laudemq; immortalem comparato. Quid n. Christiani Magistratus officio magis dignum, quam scholas aperire et fovere, in quibus doceatur et discatur pietas et studia humaniora conserventur, absq; quibus posteritati nihil nisi mera barbaries relinqui potest? Quid Ptolomaeum illum Philadelphum nobis clarissimum facit, nisi quod labore summo et munificentia verè regia studia doctrinarum generi humano quasi postliminio restituit lateq; propagavit, gymnasia Musarum aperuit, viros doctrinâ praestantes undecunq; evocatos liberaliter fovit? Quid pulchrius Centurionis laude qua domino nostro Servatori comendatur à Senioribus in Evangelio dicentibus, Diligit gentem nostram et Synagogam aedificavit nobis.

Horum virtutem

de Ao 1595.

Horum virtutem ac pietatem imitari profectò magna laus, neq contra quicquam turpius cogitari potest, quam quod stolidum vulgus hodiè judicat, nullos sumtus inutilius locari, quam qui in literas profunduntur: ex quo errore paulatim, proh dolor, invalescit sacrilega illa sive ignavia sive avaritia, ut quae pietate majorum constructa sint gymnasia et collegia, hodiè passim vix sarta tecta conserventur. Quocirca immortales gratias Deo O. M. debemus, qui in tam foedo stupore mundi tantum in luxum et pompam inanem sua libenter profundere parati, hactenus excitavit, et excitat non paucos generosos heroas, qui Reipubl. salutem in liberali Ecclesiarum et Scholarum cura praecipuè posuerunt ac ponunt. Inter hos Tuam etiam Generositatem meritò connumero, et ideò Deum aeternum Patrem ardentibus votis invoco, ut Generosum Tuum pectus verae pietatis zelo magis magisq corroboret, noviq Gymnasii Steinfurdiani incunabulis clementer benedicat, et tam salutari consilio successus eximio cum fructu semper respondeat, et docentium atq discentium studia cedant ad laudem gloriosi nominis ejus, ad illustrationem ac propagationem coelestis doctrinae, ad salutarem juventutis culturam, deniq ad inclytae ditionis tuae immortale decus et ornamentum Amen!

Perizonium ut T. G. voluit, libenter dimisi, qui D. Timplerum et Goddaeum isthuc deduceret. Sperò autem citò ad nos rediturum. Famulatur collegio, sed beneficio fruitur pari cum Alumnis Illustrissimi Electoris. Et quia cum mediocri doctrina morum integritatem hactenus conjunxit, anco eum ac favore et promotione dignum judico, non defuturus

commodis ejus, si his locis potius quam patria operam locare aliquando volet. Vale Generose Comes et hanc libellum meum Ecclesiae Orthodoxae, ejusque fidis nutritiis dicatum clementer suscipe, observantiae ergo te meae qualemcunque testem. D. Jesus te cum Illustri familia Ecclesiae et Reipubl. diu benignè servet. Heidelbergae Nonis Junii 1595.

271) Memoriale pro Legatis Polonicis.

Rudolphus: Cum Illust. Transsilvan: Princeps Sigismundus Batori, qui hactenus sub clientela Turcica egit, Nobis se suamque provinciam certis conditionibus subdiderit, et regno Hungariae se denovo adjunxerit, atque inter ejus conditiones una sit, ut conjugem ipsi ex inclyto nostro sanguine Austriaco domus, jam cura nobis esse, ut ipsi Ser.^{mi} quondam Archiducis Caroli patrui nostri charissimi filiarum aliqua, quam ipse propendet, detur, idque ut Serenissimo Regi ac Reginae per Legatos nostros ratione nos duxisse docere, minime dubitantes, quin matrimonium illud, quod reliquas conditiones confirmare debeat, suo calculo approbaturi sint, testabuntur. Prag: 4 Febr: 1595.

272) Davidi Pareo Jodocus Naum S.

Qui tibi literas hasce exhibebit, Clarissime Dne Doctor, Norvegus est, vir et pietate et doctrina insignis, in Germaniam cum Generosis adolescentibus missus. Nomen autem tuum admiratus ad te compellandum per meas literas sibi aditum parari voluit. Quod ipsum cum tibi gratum fore putarem, ac mihi non iniquum videretur, id officii viro doctissimo, qui forsan in Patriam reversus libris scripsum clarum reddet, non negandum esse putavi. Si qua ergo ratione eum aliquandiu Heidelbergae commoraturum juvare potes consilio et opera, des hoc adolescentibus generosis purae religioni addictis et regno Daniae et Norvegiae, si ita Deo visum fuerit, proficiendis. Maximam

semper